Königliches Gymnasium in Bromberg.

Zu den

am 29., 30. und 31. März 1882

stattfindenden

Schul-Feierlichkeiten

ladet

im Namen des Lehrerkollegiums

ergebenst ein

Director Dr. Guttmann.

Inhalt: De tragicorum Graecorum minorum et anonymorum fragmentis observationes criticae.
Scripsit R. Methner.

Bromberg 1882.
Druck von A. Dittmann.

1882. Progr. No. 128.

Der Jahresbericht ist besonders ausgegeben.

De tragicorum Graecorum minorum et anonymorum fragmentis observationes criticae.

Dissertatio inauguralis, quam abhinc annos sex ad summos in philosophia honores impetrandos scripsi, observationes criticas continebat de tragicorum Graecorum minorum et anonymorum fragmentis, quae ab Aug. Nauckio collecta et edita sunt [1]. Cuius commentationis argumentum in partes divisum erat tres, quarum prima eos locos recensui, quos ex illorum fragmentorum numero certis de causis eiciendos esse arbitrabar, altera ea tractavi fragmenta corrupta et mutilata aut parum recte ad id tempus explicata, quibus probabilem ego medelam aut explicationem mihi videbar invenisse, tertia denique alios diversorum scriptorum locos simpliciter enumeravi, in quibus tragici alicuius poetae vel locutionem vel versum latere suspicabar. Typis vero praeter partem primam eas tantum observationes tum exscribendas curavi [2], quae ad Aristiae Aristarchi Neophronis Jonis Achaei Philoclis Agathonis fragmenta spectabant [3]. Itaque cum quae tum a me edita est opusculi mei particula virorum doctorum iudicio probata sit [4], occasione, quae nunc mihi oblata est, libenter utor ad eam quae restat partem literis prodendam. Ac primum quidem de eis poetarum locis, quos emendavisse vel explicavisse mihi videor, eodem quo apud Nauckium leguntur ordine disputabo, deinde quae nova me puto invenisse fragmenta enumerabo.

I.

Critiae frg. 1, a Sexto Empir. traditum, e Sisypho tragoedia. Ipsum Sisyphum poeta disputantem inducit, quomodo factum sit, ut homines deos esse existimarent. Leges dicit primum constitutas esse, quibus ius servaretur, iniuria puniretur. Postea vero, quoniam homines legum auctoritate non deterrerentur, quominus occulte scelera perpetrarent, a sapienti quodam homine deos esse inventos:

τηνικαῦτά μοι δοκεῖ v. 11
(φρενὰς) πυκνός τις καὶ σοφὸς γνώμην ἀνὴρ
γνῶναι δὲ ὃς θνητοῖσιν ἐξευρεῖν ὅπως
εἴη τι δεῖμα τοῖς κακοῖσι, κἂν λάθρα
πράσσωσιν ἢ λέγωσιν ἢ φρονῶσί τι.

δὲ ὃς in plurimis codicibus legitur, *δεός η* in Laurentiano. Quod Normannus coniecit *δέον* reiciendum, quia, si hoc legimus, verbum *ἐξευρεῖν* obiecto caret, nec quod Petitus proposuit *δέος* probandum videtur esse, quoniam quod statim sequitur *δεῖμα* vim habet eandem. Equidem suspicor aut *θεοὺς* aut *νέον* scribendum esse. Hoc quidem *νέον* optime ad sententiam

[1] Tragicorum Graecorum fragmenta. rec. A. N. Lipsiae 1856. pp. 555—730. [2] Gnesnae. 1876. [3] Editionis Nauck. pp. 555—596. [4] Schirlitz, Philol. Anzeiger et Wecklein, Bursians Jahresbericht.

quadrat: cum leges non iam sufficerent, novi aliquid sapienti illi homini inveniendum fuisse, quo, etiamsi quis occulte iniuriam faceret, poenam timeret. Post v. 16 haec apud Sextum sequuntur:

ὡς ἔστι δαίμων ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ,
νόῳ τ' ἀκούων καὶ βλέπων, φρονῶν τε καὶ
προσέχων τε ταῦτα καὶ φύσιν θείαν φορῶν.

Ita a Bekkero in editione Sexti singula huius sententiae membra dividuntur. Sed multa sunt, quae displiceant. Primum fieri non potest, ut voces βίῳ νόῳ τε separentur, quid enim sibi vult νόῳ ἀκούειν? Neque magis disiungi possunt participia ἀκούων βλέπων φρονῶν. Denique προσέχων τε ταῦτα corruptum. — Quod Grotius proposuit προσέχων τὰ πάντα 'animadvertens omnia' non aptum, quia eadem sententia et antecedenti et insequenti versu continetur. Atque Matthiae, qui legit συνέχων ἅπαντα, quo sensu haec putet dicta esse non satis recte intellego. Videtur poeta sic scripsisse:

ὡς ἔστι δαίμων ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ
νόῳ τ', ἀκούων καὶ βλέπων φρονῶν τ' ἀεὶ,
προὔχων τε πάντα καὶ φύσιν θείαν φορῶν.

'Est numen, quod immortali vigore et mente floret, semper audiens videns cogitans, et cum in omnibus rebus excellens, tum vero etiam natura praeditum divina'. Duae igitur illi dei tribuuntur virtutes: βίος, lebenskraft et νόος, verstandeskraft. Hae notiones sequentibus verbis explicantur, quae per chiasmum ita posita sunt, ut verba ἀκούων ἀεὶ ad mentem, verba προὔχων etc. ad vigorem pertineant. Ceterum ἀεί, quod sensus [1]) postulat, Bachio debetur.

In v. 25 pro ἥδιστον, quod suspectum est, Nauckius κέρδιστον 'utilissimum' legendum esse conicit. Nescio an μέγιστον simplicius neque sensui minus aptum sit.

v. 35 sq. ὅθεν τε λαμπρος ἀστέρος στείχει μύδρος
ὅ θ' ὑγρὸς εἰς γῆν ὄμβρος ἐκπορεύεται.

Priorem horum versuum de sole dici apertum, neque vero veri simile est poetam solem simpliciter ἀστήρ dixisse. Itaque recipiendam esse puto aptissimam Boissonadi coniecturam, a Nauckio non commemoratam. Coniecit autem ille αἰθέρος μύδρος, quod de sole dicere Graecis non minus licuit, quam nobis 'die feurige himmelskugel'. Itaque Nauckio ἡλίου scribendum esse suspicanti non adsentiendum, neque magis probandum est, quod Herwerden coniecit διάπυρος, quod non solum a librorum scriptura longius distat, verum etiam inutile est, cum adiectivi illius notio in ipso nomine μύδρος contineatur. Deinde ne στείχει quidem integrum mihi videtur, nam illud quidem potuit dici radios solis de caelo in terram venire, solem ipsum non potuit [2]). Musgravii coniectura ἀστέρας σπέρχει μύδρος ne quam sensum habeat quidem intellego. Fortasse pro στείχει legendum est στίλβει 'elucet'. In altero versu verbum ἐκπορεύεται vitii suspicionem movet,

---

[1]) cf. versum illum Xenophaneum: οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ νοεῖ, οὖλος δέ τ' ἀκούει. [2]) Contra de oriente sole haud raro illud verbum usurpatur, ut apud Hom. Od. 11, 17: ὁπόταν στείχῃσι πρὸς οὐρανόν.

neque Musgravii et Grotii coniecturis, quorum alter *ἐκποϱίζεται*, alter *εἰϱποϱεύεται* scribit, quidquam proficitur. Legendum esse suspicor *ἐκπϱοχεύεται* 'effunditur imber'. *χεύειν* forma etiam apud Euripidem invenitur Ion. v. 148 *ἀποχεύονται*. Praeterea cf. eiusdem tragoediae v. 119 *τὰν ἀέναον παγὰν ἐκπϱοϊεῖσαι*.

Post v. 36 haec sequuntur:

τοιούτους δὲ πεϱιέστησεν ἀνθϱώποις φόβους
δι' οὓς καλῶς τε τῷ λόγῳ κατῴκισεν
τὸν δαίμον' οἰκεῖν ἐν πϱέποντι χωϱίῳ κτλ.

Cur Meinekius, qui coniecerat *τοίους πέϱιξ ἔστησεν*, simpliciorem repudiaverit emendandi rationem non video. Simplicius enim puto esse *τοίους δὲ πεϱιέστησεν* scribere vel *τοιοὺς δε*, quod Grotius coniecit. Verbum *πεϱιϊστάναι* simillime usurpatur apud Polyb. 12, 15, 7 *μεγίστους κινδύνους πεϱιέστησε Καϱχηδονίοις*. Pro *δι' οὓς*, quod nequit intellegi, Meinekius scribendum suspicatus est *δι' οὖς*, quod ut sensum praeberet, pro *ἔστησεν* postea *ἔσκηψεν* scripsit. Quod etsi verba *ἔσκηψεν δι' οὖς* possent significare: 'auribus alicuius alqd. quodam modo infigere', ipsam tamen sententiam nimis artificiosam esse putaverim, praeterea *πέϱιξ* ita nihil habet, quo sit referendum. Falli mihi non videor, si *φόβους δίους* olim scriptum fuisse contendo. Optime enim terriculas illas, quae a poeta antea enumeratae sunt, divinas potuisse dici quis est, qui non videat? — De Musgravii coniectura *φόβου στοίχους*, quam a Bekkero in textum receptam esse miror, iam mihi verba facere non est necesse.

Diogenis Atheniensis frg. 1. Athen. XIV p. 636 A: *Διογένης δὲ ὁ τϱαγικὸς διαφέϱειν πηκτίδα μαγάδιδος λέγων οὕτως ἐν τῇ Σεμέλῃ·*

Καίτοι κλύω μὲν Ἀσιάδος μιτϱηφόϱους
Κυβέλας γυναῖκας, παῖδας ὀλβίων Φϱυγῶν,
τυπάνοισι καὶ ῥόμβοισι καὶ χαλκοκτύπων
βόμβοις βϱεμούσας ἀντίχεϱσι κυμβάλων
σοφὴν θεῶν ὑμνῳδὸν ἰατϱόν θ' ἅμα.
κλύω δὲ Λυδὰς Βακτϱίας τε παϱθένους
ποτάμῳ παϱοίκους Ἅλυϊ Τμωλίαν θεὸν
δαφνόσκιον κατ' ἄλσος Ἄϱτεμιν σέβειν
ψαλμοῖς τϱιγώνων πηκτίδων ἀντιζύγοις
ὁλκοῖς κϱεκούσας μάγαδιν, ἔνθα Πεϱσικῷ
νόμῳ ξενωθεὶς αὐλὸς ὁμονοεῖ χοϱοῖς

In v. 4 *ἀντίχεϱσι*, quod Casaubonus pro librorum lectione *ἀντὶ χεϱσί* scribendum esse coniecit, prorsus reiciendum esse puto. Primum enim duo illi dativi *βόμβοις* et *ἀντίχεϱσι* plane diversa ratione usurpati ferri non possunt, deinde ne verum quidem est pollicibus sonum cymbalorum effici, quoniam organa illa musica, ut sonum ederent, inter se concutiebantur. Quod ipsum ea puto voce significatum fuisse, quae in corrupto illo *ἀντιχεϱσι* latet, fortasse enim scribendum

βόμβοις βϱεμούσας κυμβάλων ἀντηχέσι

Quod *ἀντηχής*, quantum equidem scio, nisi apud Hesychium in corrupta glossa: *ἀγκής· ἀντηχής* non invenitur, nullius momenti est, cum neque minus recte compositum sit, quam *διηχής* et

κατηχής et ad sensum huius loci optime quadret. Ceterum haud improbabile videtur esse vocem βρεμούσας ab Hesychio respici s. v. Βρεμούσας · ἠχούσας.

In v. 5 graviter mutilato quod Nauckio legendum videtur ψοφεῖν, non probandum, quoniam ab hoc verbo accusativum pendere posse parum veri simile est et strepitus notio ipso verbo βρεμούσας continetur. Bergkii coniecturam σέβειν recipiendam esse censuerim, nisi quod notionem σοφός, quae perbene dicitur de Apolline, aegre desidero. Itaque nescio an scribendum sit σέβειν σοφόν θ' ὑμνῳδόν κτλ. Librarius cum Apollinem deum hic dici intellegeret, ad vocem ὑμνῳδόν adscripsit θεῶν vel θεόν, quod vocabulum propter illud θ', quod ante ὑμνῳδόν legebatur, facillime potuit in ipsum versum irrepere. Quo facto σέβειν σοφόν abiit in σοφειν vel σοφην.

In v. 6 vocabulum Βακτρίας corruptum esse patet, neque enim Bactrianae virgines ullo pacto Halyn accolere dici possunt. Quod Meinekius coniecit βακχίας vereor ut possit probari, cum Baccharum furor a cultu castae Dianae abhorreat. Non dubito quin legendum sit Λυδὰς ψαλτρίας καὶ παρθένους. cf. Ionis frg. 22 ἀλλ' εἶα, Λυδαὶ ψάλτριαι et quae Athen. XIV p. 634 F ad illum locum dicit. Postremi duo huius fragmenti versus gravissimis vitiis laborant. Primum quid ὁλκοῖς sibi velit obscurum, deinde his verbis una aliqua ratione poetam indicavisse putandum est, πηκτίδα et μάγαδιν organa esse inter se diversa (Athen. enim dicit Διογένης διαφέρειν πηκτίδα μαγάδιδος λέγων), id quod, ut nunc haec verba leguntur, non fit. Denique verba ἔνθα Περσικῷ νόμῳ qua ratione explicari possint non video. Equidem totum hunc locum optime puto sanari posse his fere mutationibus:

Ἄρτεμιν σέβειν
ψαλμοῖς τριγώνων πηκτίδων ἀντιζύγοις,
ὁμοῦ κρεκούσας μάγαδιν, ἐν δὲ Περσικῷ
νομῷ ξενωθεὶς αὐλὸς ὁμοφωνεῖ χοροῖς.

'audio virgines Lydas Dianam colere fidium cantu, simul magadin plectro pulsantes, in Persica autem terra tibia hospitaliter excepta in choreis resonat'. Ita si legitur, intellegimus, quomodo Athen. ex hoc loco concludere potuerit Diogenem μάγαδιν et πηκτίδα differre putavisse. ξενωθείς aptissime hic dicitur, quoniam tibiarum cantum a Lydis inventum inde in alias terras quasi translatum esse ferebant. ὁμονοεῖ suspectum videbatur Meinekio, qui ὁμοθροεῖ coniecit, praestare puto quod ego scripsi ὁμοφωνεῖ.

Ut de sententia totius loci pauca addam, ipsam Semelen poeta haec verba pronuntiantem videtur induxisse. Queritur illa, quod quamquam cum rege deorum amore coniuncta sit, tamen honoribus illis careat multis ac variis, quibus ceteros deos apud Phryges Lydos Persas denique in omnibus terris coli videbat ac celebrari.

Astydamantis frg. 2. Schol. A Il. Z, 472 ἀπὸ κρατὸς κόρυθ' εἵλετο] σημειοῦνταί τινες τοῦτον διὰ τὸ τὸν τραγικὸν Ἀστυδάμαντα παράγειν τὸν Ἕκτορα λέγοντα· δέξαι κοινήν μοι πρὸς πόλεμον δὲ καὶ φοβηθῇ παῖς. Corruptissima haec poetae verba Porsonus ita conatus est emendare:

δέξαι κυνῆν μοι πρόσπολ' ὧδε προσμολών,
δέξαι· ἐφοβήθη παῖς.

Hic illud quidem non dubium, quin κυνῆν legendum sit, in ceteris vero verbis Nauckius non iniuria dicit lusisse Porsonum. Fortasse levioribus mutationibus admissis sic scribendum

⏑ – ⏑ – δέξαι κυνῆν μοι πρόσπολε,
μὴ καὶ φοβηθῇ παῖς.

'dass sich das Kind nicht noch gar fürchte'. De μὴ καί vide, quae Hermannus ad Soph. Phil. v. 13 adnotavit.

Chaeremonis frag. 37. Stob. floril. 91, 11: Χαιρήμονος

πλοῦτος δὲ πρὸς μὲν τὰς ὅλας τιμὰς ἰὼν
οὐκ ἔσχεν ὄγκον, ὥστε καὶ δόξης τυχεῖν,
ἀλλ' ἔστι σεμνός · ἐν δὲ δώσει βροτῶν
ἡδὺς συνοικεῖν καί τιν' εἰληχὼς χάριν.

Nauckius in v. 2 οὐκ ἔστι σεμνός, in 3 ἀλλ' ἔσχεν ὄγκον scribendum esse putat. Sententiam igitur totius loci hanc esse vult, ut altera parte divitiae vituperentur, altera illud demonstretur, divitias, si bonis hominibus (pro δώσει legit λῴοσιν) obtingant, noxias non esse. Qua in re magnopere videtur falsus esse. Nam per totam eam florilegii partem, in qua hoc fragmentum legitur, ei tantum poetarum loci adferuntur, quibus quanta bona et commoda divitias sequantur explicatur, id quod eo maioris momenti est, quod Stob. in eadem operis sui parte Eurip. fragmenti 810:

ὦ πλοῦθ', ὅσῳ μὲν ῥᾷστον εἶ βάρος φέρειν,
πόνοι δὲ κἂν σοὶ καὶ φθοραὶ πολλαὶ βίου
ἔνεισι κτλ.

solum primum versum adtulit, cum hic tantum laudem contineret divitiarum. Itaque et Nauckii et Hermanni (ἀλλ' ἔστ' ἄσεμνος) sententia improbanda. Ex eadem causa illud λῴοσιν reiciendum, cuius loco non dubito quin a poeta scriptum fuerit δώμασιν, cf. Critiae frg. 5 σκαιότητα πλουσίαν — σύνοικον ἐν δόμοις ἔχειν, Eur. frg. 22, v. 4 sq. ὢ δ' ἂν ἐν δόμοις χρόνον συνοικῇ πλεῖστον (sc. τὰ χρήματα), eiusdem frg. 326, 4 οἱ σὲ δώμασι κεκτημένοι. — ἡδὺς συνοικεῖν sc. ἐστιν similiter dictum est ut in Eur. frg. 889, 2 καὶ προσομιλεῖν οὗτος ὁ δαίμων πάντων ἥδιστος ἔφυ θνητοῖς. Gesneri coniectura ab Hermanno probata (μεταδόσει pro δώσει) quid sibi velit, equidem non intellego. In primo versu ὅλας suspectum neque probabilis coniectura adhuc prolata est.

Sententia totius loci haec est: 'divitiae tantum abest, ut superbiam efficiant, ut gloriam insequantur et venerandae videantur esse hominibus, inque domibus hominum libenter excipiuntur et in magna apud eos gratia sunt.'

Dionysii frg. 2. Stob. flor. 98, 30 Διονυσίου τοῦ τυράννου Ἀλκμήνης·

εἰ δ' ἀξιοῖς σοι μηδὲν ἀλγεινόν ποτε,
μηδὲν ἔσεσθαι, μακαρίως ἔχεις φρενῶν.

Nauck. scribit μὴ δείν' ἔσεσθαι, quod prorsus reiciendum. Primum enim plur. num. δεινά displicet singulari ἀλγεινόν praeeunte, deinde in verbis μὴ δ. ἔσ. ne minima quidem gradatio inest. Scribendum est μηδ' ἕν γ', 'si putas nullum tibi unquam dolorem ne unum quidem futurum'.

Theodectae frg. 17.

ἧς ἀγχιτέρμων ἥλιος διφρηλατῶν
σκοτεινὸν ἄνθος ἐξέχρωσε λιγνύος
εἰς σώματ' ἀνδρῶν καὶ συνέστρεψεν κόμας
μορφαῖς ἀναυξήτοισι συντήξας πυρός.

In v. 2 nomen ἄνθος, quod ego quoque olim corruptum esse suspicabar, nunc nescio an sit retinendum, cum non raro idem fere significet quod χρῶμα (cf. Hesych. ἄνθη· χρώματα). Sic Plato Reip. VIII 557 c dicit ἱμάτιον πᾶσιν ἄνθεσιν πεποικιλμένον. Similiter dictum reperitur ἄνθος καθαρόν de auro, ἄ. πορφύρας, ἄ. πρίνου de cocco. Itaque poeta quidem etiam σκοτεινὸν ἄνθος λιγνύος dicere potuit, quamquam Nauckii coniecturam αἶθος haud improbabilem esse concedo collatis his locis: Pind. Pyth. 1, 22 ῥόον καπνοῦ αἴθωνα et Hom. Od. 10, 152 αἴθοπα καπνόν. Pro ἐξέχρωσε Meinekius recte videtur εἰσέχρωσε legendum esse coniecisse.

In v. 4 μορφαῖς corruptum est. Coniectura Lobeckii et Meinekii, quorum alter ὁρμαῖς alter φοραῖς scribendum putat, veritatis speciem non habent. Multo probabilius videtur βολαῖς, quae vox haud raro de solis radiis usurpatur, ut Soph. Ai. 864, Eur. Or. 1257. Ceterum eiusdem coniecturae mentionem facit J. Bernhard[1]), qui tamen αὐγαῖς scribi mavult, quod cum aptissimum sit ad sensum, ab eo litterarum ductu, qui in librorum scriptura conspicitur, nimis longe recedit. Nec vero minus probabiliter quam βολαῖς nescio an στεροπαῖς olim hic scriptum fuisse coniciamus, quod vocabulum facillime in μορφαῖς abire potuisse patet. Eadem hac voce de solis radiis utitur Soph. Trach. 99 ὦ λαμπρᾷ στεροπᾷ φλεγέθων, qui locus fortasse respicitur ab Hesychio: στεροπή· αὐγή. Similiter Aesch. frg. 376 de facibus: λαμπραῖσιν ἀστράπαισι λαμπάδων.

Verum ne adiectivum quidem ἀναύξητον integrum mihi videtur esse, neque enim hoc quidem loco aliud quidquam significare possit, quam hoc: 'solis radiis Aethiopum crines impediri crescere', quae sententia quam sit inepta quis est qui non videat? Praeterea illud adiectivum rarissime invenitur, transitive dictum nusquam. — Itaque haud male conieceris ἀναλγήτοισι scribendum esse, aptissime enim a poeta solis radii 'tela (βολαὶ) vel fulgura non dolentia' appellari potuerunt. Eodem sensu ἀνάλγ. a Sophocle usurpatur Trach. 126 ἀνάλγητα γὰρ οὐδ' ὁ πάντα κραίνων βασιλεὺς | ἐπέβαλε θνατοῖς Κρονίδας, ubi Schol. explicat ἄλυπα.

Eiusdem frg. 18. Ath. X p. 451 E, ut quanta sit Theodectae in aenigmatis componendis sollertia demonstret, quinque illius poetae hexametros adfert, quos hic totos perscribi non opus est: λέγει (Θεοδέκτης) οὕτως· τίς φύσις οὔθ' ὅσα γαῖα φέρει κτλ. Nauck. dubitari posse dicit, num e tragoedia hi versus derivati sint, quam dubitationem facile mihi videor removere posse. Scripserat enim Theod. tragoediam, qua Oedipi sors narrata erat, cuius fabulae unum etiam restat fragmentum (4) eodem hoc Athenaei loco servatum. Cumque illud fragmentum et ipsum aenigma hexametris conscriptum contineat, non dubito quin frg. 18 ex eadem tragoedia repetitum sit, praesertim cum Theodectam, quippe qui multum versatus esset in aenigmatis componendis, haud pauca in illa quidem tragoedia Sphingis aenigmata finxisse veri simili sit. Et si in verbis Athenaei levem et necessariam mutationem fecerimus, illa mea sententia optime erit confirmata. Athen. enim postquam frg. 18 adtulit ita pergit: κἀν τῷ Οἰδίποδι δὲ τῇ τραγῳδίᾳ τὴν νύκτα καὶ τὴν ἡμέραν εἴρηκεν αἰνιττόμενος· εἰσὶ κασίγνηται κτλ. (frg. 4) Hic verba τῇ τραγῳδίᾳ admodum suspecta sunt. Nullo enim alio loco operis sui haud exigui Athenaeus, cum tragicum locum adfert, ad titulum tragoediae ipsum vocabulum τραγῳδία apponit. Neque illud cogitari potest et tragoediam et fabulam

---

[1]) Index Graecitatis Tragicae, quem programmati Gymnasii Budissini a. 1871 praemisit J. B. Pars I p. 10.

satyricam eiusdem nominis a Theodecta fuisse composita, quod si esset, Athenaeus ut solet ad eum tantum locum aliquid addidisset, qui e fabula satyrica petitus erat. — Itaque κἀν ταὐτῇ δὲ τῇ τραγῳδίᾳ legendum et antea post verba λέγει δ' οὕτως inserendum esse suspicor ἐν τῷ Οἰδίποδι. Corrupta librorum lectio eo videtur orta esse quod librarius ad vocem ταὐτῇ adscripsit ἐν τῷ Ο.

Ceterum ipsius Theodectae verba servata esse arbitror ab Aristotelis scholiasta in Anecd. Paris. vol. I p. 243,15, qui locus a Nauckio p. 624 adfertur: Θεοδέκτης — παράγει τὴν χεῖρα δεδηγμένον τὸν Φιλοκτήτην ὑπὸ ὄφεως· καὶ μέχρι μὲν πολλοῦ ἀντέτεινε πρὸς τὰς λύπας καὶ τοὺς πόνους, ὕστερον δὲ ἡττήθη καὶ ἐβόα· κόψατε τὴν ἐμὴν χεῖρα. Extrema haec verba, quorum metrum dochmiacum est: _ ◡◡ _ ◡ _ | _ ◡ · · ·, ab ipso Philocteta in Theodectae tragoedia pronuntiata esse crediderim.

Moschionis frg. 7. Agitur hoc loco qui legitur in Stob. Ecl. 1, 8, 38 p. 240 de pristina generis humani condicione, dicit poeta illis temporibus nec frumentum nec vinum hominibus fuisse,

ἀλλ' ἦν ἀκύμων κωφεύουσα ῥέουσα γῆ (vs. 13).

Verba κωφεύουσα ῥέουσα manifeste corrupta sunt. Meinekius coniecit κωφὰ χηρεύουσα γῆ. Quod etiamsi poeta potuit dicere, tamen non probo, quia illis verbis nihil aliud significatur, quam quod adiectivo ἀκύμων iam expressum est. Et ipse Meinek. in Adnott. crit. ad Stob. Ecl. p. XXXIX in librorum lectione forsan aliud quid latere dicit. Etiam minus probanda sunt, quae Heeren. tentabat: κωφά τ' ἐκφύουσα et Jacobs: κωφά τ' ἐκτρώσασα et alius quis: κωφά τ' ἐκφέρουσα. Quod Nauck. scribendum esse suspicatur κώφεσιν βρύουσα, quamquam et ad sensum optime quadrat et facillime ita, ut factum est, corrumpi potuit, tamen displicet propter particulam καί, desideratur enim nudum participium, quo causa contineatur cur terra tum sterilis fuerit. Itaque nescio an scribendum sit κνωδάλων βρύουσα γῆ,
βρύουσα
quae verba in archetypo fortasse sic scripta erant κνωδάλων ῥέουσα γῆ, unde ortum est illud κωφεύουσα ῥέουσα. Ad sensum aptissime conferas Aesch. Suppl. 264 sq. ἰατρόμαντις παῖς Ἀπόλλωνος χθόνα | τήνδ' ἐκκαθαίρει κνωδάλων βροτοφθόρων, | τὰ δὴ — ἀνῆκε γαῖα.

Deinde pergit poeta:

βοραὶ δὲ σαρκοβρῶτες ἀλληλοκτόνους
παρεῖχον αὐτοῖς δαῖτας.

In quibus verbis miror nec Meinekium nec Nauckium offendisse. Nam praeterquam quod verba βοραὶ σαρκοβρῶτες παρεῖχον ἀλληλοκτόνους δαῖτας nimis tumide et obscure videntur dicta esse, qui tandem illi sint, quibus hae coenae praebeantur, incertum est, neque enim αὐτοῖς pronomen ad vocem βροτοῖς, quae duodecim versibus ante legitur, referri potest.

Itaque certissimam J. Bernhardi coniecturam, quam ille l. l. p. 12 proposuit, recipiendam esse duxerim, qui censet legendum esse βροτοὶ δὲ et deinde αὑτοῖς. vox βροτοί in initio ponitur, quia poeta in antecedentibus versibus de terra eiusque condicione locutus est. Ad δαῖτας ἀλληλ. cf. Eur. Cycl. 127 βορᾷ χαίρουσιν ἀνθρωποκτόνῳ, eiusdem frg. 475, 12 ὠμοφάγους δαῖτας. Ad totum locum cf. Orphei versus a Sexto Empirico p. 681 ed. Bekker. adlatos:

ἦν χρόνος ἡνίκα φῶτες ἀπ᾽ ἀλλήλων βίον εἶχον
σαρκοδακῆ, κρείσσων δὲ τὸν ἥττονα φῶτα δάϊζεν.

Extrema haec verba simillima sunt Moschionis versui 17: ὁ δ᾽ ἀσθενὴς ἦν τῶν ἀμεινόνων βορά.

Lycophronis frg. 2 satyr. Ath. X p, 420 B e Menedemo satyrico, qua fabula nimia Menedemi philosophi in epulis frugalitas perstringitur atque irridetur, hos nobis versus servavit:

ἀλλὰ κυλίκιον
ὑδαρὲς ὁ παῖς περιῆγε τοῦ πεντωβόλου
ἀτρέμα παρεξεστηκός· ὅ τ᾽ ἀλιτήριος
καὶ δημόκοινος ἐπεχόρευε δαψιλὴς
θέρμος, πενήτων καὶ τρικλίνου συμπότης.

Non pauca in his verbis menda insunt. Ac primum quidem vox ἀλιτήριος de lupinis dicta non omni offensione caret, cum nullum inveniatur exemplum, ubi adiectivum illud de re dictum sit. Itaque post ἀλιτήριος interpungendum et ita scribendum esse censeo παρεξεστηκός, ἁλιτήριος i. e. ὁ ἀλ., ut hoc nunc pertineat ad vocem παῖς 'der verfluchte diener'. Saepenumero enim ἀλ. in comoediis ita usurpatur, a quibus satyricarum fabularum ratio et oratio haud ita longe abhorret. Coniectura mea eo videtur confirmari, quod Ath. II p. 55 D, ubi item de Menedemi coenis dicens extremos duos versus adfert, non duo sed unum adiectivum voci θέρμος addit: καὶ δημόκοινος ἐπεχόρευε κτλ. Consentaneum enim est Athenaeum, si ἀλιτ. cum θέρμος coniungendum fuisset, etiam illic hoc adiectivum additurum fuisse.

δημόκοινος Casauboni coniectura est, in Athenaei libris p. 420 δημόκριτος, p. 55 δημόνικος legitur. Pro δημόκοινος, quod ad sensum aptissimum est, haud scio an scribendum sit κοινόδημος, quo vocabulo poetam ad ipsum philosophi nomen Μενέδημος adludere voluisse suspicor. Quae suspicio firmatur lectione codicis C, ubi (p. 420) post vocem ἀλιτήριος legitur μενέδημος ἐπεχόρευσε. Corrupta nomina δημόκριτος et δημόνικος ita videntur orta esse, ut librarius, qui fabulam illam Lycophronis descripsit, adiectivum κοινόδημος eadem ratione pro δημόκοινος positum esse adnotaret, qua Δημόκριτος et Κριτόδημος, Δημόνικος et Νικόδημος dicere solerent. In v. 5 verba καὶ τρικλίνου vitiosa sunt. P. 55 codd. habent τρικλίνων, p. 420 τρικλίνους vel τρικλίνου. Meinekius poetam scripsisse conicit πεν. κατὰ τρίκλινον vel ἐν τρικλίνῳ συμπότης. Mihi quidem hic voces πένητες et τρίκλινον inter se oppositae esse videntur, nam parum probabile est pauperes quoque triclinio uti solitos esse. Itaque scribendum est πενήτων κοὐ τρικλίνων συμπότης 'pauperum conviva (i. e. cibus), non eorum, qui in tricliniis accumbere consueverunt'.

Sosithei frg. 2 satyr. V. 6 sq. poeta haec narrat de Lityersae voracitate:

ἔσθει μὲν ἄρτους τρεῖς ὄνους κανθηλίους
τρὶς τῆς βραχείας ἡμέρας.

Ita haec verba leguntur apud Anonym. in Mythogr. Westerm. p. 346, 16; Ath. X p. 415 B, ubi versus 6—8 commemorati sunt, habet αὐτούς vel αὐτός et ὅλους, quod idem legitur apud Tzetz. Chil. 2, 596. Dindorfii sententia, qui ceteris verbis servatis αὐτός

scribit, iam a Meinekio in Exerc. phil. II p. 19 satis certe refutata est. Ipse Meinek. l. l. hanc proposuit scripturam:

ἔσθει μὲν ἄρτους τρεῖς ὅλους κανθηλίους

'ἄρτους κανθ. panes ingentis magnitudinis dixit, quae interpretatio et propter oppositionem τῆς βραχείας ἡμέρας et vero etiam propterea aptissima habenda est, quoniam ἄρτος per se nullam magnitudinis notionem habet'. Quam explicationem difficillimam et artificiosissimam esse planum est, et ipse Meinek. in Anal. crit. p. 183 dubitat annon recte explicaverit ἄρτ. κανθ. Quod tamen illic poetam scripsisse putat ὄνος κανθήλιος 'asini clitellarii instar' non magis probandum est. Neque enim poetam, ut Lityersae voracitatem significaret, asini potissimum exemplo usum esse credibile est. Itaque aliter huic loco medendum. Equidem scriptum fuisse arbitror ἄρτον τρεῖς ὄνους κανθηλίους 'tantum panis quantum tres asini clitellarii ferre possunt'. Quotidiano quidem dicendi generi hoc magis responderet τριῶν ὄνων ἄρτους, quod ipsum habet Tzetzes l. l. ἄρτους δὲ τρώγων ἤσθιεν ὄνων τριῶν φορτίων. Cf. Pherecrat. apud Ath. X p. 415 C: ὃς κατεσθίεις | τῆς ἡμέρας μακρᾶς τριήρους σιτία 'magnae triremis cibaria' et Antiphan. apud eundem III p. 127 D: καταβεβρωκὼς σιτία | ἴσως ἐλεφάντων τεττάρων. Sed poetae inverso quoque verborum ordine ac ratione uti licuit, ut Alexidi apud Ath. IX p. 380 E: παρέθηκε τὴν τράπεζαν, εἶτα παραφέρων | ἀγαθῶν ἁμάξας, ac nobis quid obstat, quin similiter loquamur: 'er ass drei frachtwagen brot auf'?

Cum iam satis certe mihi persuasum esset ita illum versum a poeta scriptum fuisse, vidi hanc coniecturam a Westermanno in ipsa Mythographorum editione occupatam esse. Valde igitur mirandum est Nauckium ne commemoravisse quidem illam scripturam.

V. 8. Nec minus miror, cur idem vir doctus in Philol. XII p. 195 in versu, qui statim sequitur

πίνει δ' ἅμα
καλῶν μετρητὴν τὸν δεκάμφορον πίθον

verbum καλῶν, quod in libris Athenaei καλόν scribitur, in suspicionem vocaverit dicens intellegi illud non posse. Immo optimus sensus efficitur, cum iocose poeta dicit Lityersam cadum, unde bibere solebat, quamquam decem continebat amphoras, tamen μετρητήν appellasse, qui unam continet amphoram. Ceterum haud male cum hoc loco compares Philyllii comici frg. apud Meinek. II 859:

σοὶ μὲν οὖν τήνδ', ἀμφορεῦ,
δίδωμι τιμὴν πρῶτα μὲν τοῦτ' αὐτ' ἔχειν
ὄνομα μετρητὴν μετριότητος οὕνεκα.

Inutile igitur est quod Nauck. coniecit κάδον, nec qua ratione illud cum accusativis μετρητήν et πίθον coniungendum sit perspicio.

V. 9 poeta sic pergit

ἐργάζεται δ' ἐλαφρὰ πρὸς τὰ σιτία.
ὄγμον θερίζει, τῇ μιᾷ δ' ἐν ἡμέρᾳ
δαίνυσι τ' ἔμπης συντίθησιν εἰς τέλος.

Corruptissima haec verba Meinek. Anal. crit. p. 182 ita corrigere studet:

ἐργάζεται δὲ φλαῦρα πρὸς τὰ σιτία
ὄγμον θερίζων ἕνα· μιᾷ δ' ἐν ἡμέρᾳ
. . . .

Postremum versum idem ex pluribus contractum neque emendari posse dicit. Mihi vir doctus prorsus videtur falli, cum putat v. 9 sq. a poeta narratum fuisse pigrum se Lityersam praebuisse in operibus rusticis. Quam sententiam falsam esse inde apparet, quod Lit. numen agriculturae habebatur et a Siculis messoribus (cf. Theocr. 10, 41) celebrabatur. Praeterea ut ingentem famem expleret, necesse fuit opinor et in agro colendo et in frumento demetendo desudare eum atque elaborare. Itaque versum 9, ut in cod. legitur, retinendum esse duco, nisi quod cum Nauckio pro *πρὸς* scribi velim *πως*: 'celeriter autem cibum sibi comparat.' Sequentia verba mutila esse apparet, et quam sententiam Hermannus, qui *ὄγμους θερίζων* et *Διόνυσον ὄμπνῃ* scribendum esse coniecit, in his verbis inesse quaque ratione ea cum ceteris coniungenda esse putet, intellegere me non posse fateor. Equidem quamquam concedo certam huius loci medelam sine novis subsidiis inveniri nequire, tamen meam ipsius coniecturam, qua sensum quidem aptum effici spero, in medium proferam. Fortasse enim poeta scripserat:

ἐργάζεται δ' ἐλαφρά πως τὰ σιτία·
ὄγμον θερίζει γὰρ (vel *δὴ*) *μιᾷ γ' ἐν ἡμέρᾳ*
δασύν τιν' ἔμπας συντίθησί τ' εἰς τέλος.

'celeriter sibi comparat cibum: strigam enim demetit uno quidem die admodum densam et postremo (i. e. sub finem diei) eam componit.' *δασύς* de frumenti striga aptissime dicitur, velut Plato Symp. 212 E *δασὺς στέφανος* dicit de corona e multis foliis conserta, praeterea cf. Hom. Od. 14,49 *ῥῶπας ἐπέχευε δασείας*. De *εἰς τέλος* vide quae Hermannus ad Soph. Phil. 409 adnotavit. Tamen nescio an praestetscribere *ὡς τάχος*.

V. 16 sq. *ἐπιστατῶν οἴδημα Μαιάνδρου ῥοαῖς*
καρπευμάτων ἀρδεντὰ δαψιλεῖ πότῳ
τὸν ἀνδρομήκη πυρὸν ἠκονημένῃ
ἅρπῃ θερίζει.

Jure Meinek. Anal. crit. p. 182 Nauckii coniecturam *ἔπειτ' ἄγων εἰς λῆα* elegantem esse dicit, nec tamen minus aptam putaverim Westermanni coniecturam *ἐπισκοπῶν δὲ πεδία*. Sed illud potissimum quaeritur, quid pro *καρπευμάτων* (vel *κηπευμάτων* ut Hermann. mavult) legendum sit, quae forma unde pendeat et quid sibi velit plane obscurum est. Mihi legendum esse videtur *ταφρευμάτων τ' ἀρδευτά*. Dicit poeta Lityersae campos et Maeandri undis et fossarum aqua fuisse irrigatos. Ita si scribimus, verborum et constructio et sensus optime sese habent, notum enim in Asia potissimum, quae est patria Lityersae, homines agros fossis irrigare solitos esse. Finis totius fragmenti hic est:

τὸν ξένον δὲ δράγματι
αὐτῷ κυλίσας κρατὸς ὀρφανὸν φέρει
γελῶν θεριστὴν ὡς ἄνουν ἠρίστισεν.

Scribendum esse videtur *αὐτῷ ᾿γκυλίσας*. Meinek. coniecit *ἁδρᾷ ᾿γκυλίσας*, nec tamen est quod *αὐτῷ* corruptum esse censeas.

Eiusdem frg. 3 satyr.

θανὼν μὲν οὖν Μαίανδρον ἐρρίφη ποδὸς
σοφός τις ὥσπερ δίσκος· ἦν δ᾿ ὁ δισκείσας ἀνὴρ
πυθιο . . . . τίς γὰρ ἀνθ᾿ Ἡρακλέους;

In v. 2 Nauck. recepit quod Casaubonus scribendum esse putavit *σόλος τις ὥσπερ. ἦν δ᾿ ὁ κτλ.* Quae coniectura, quamvis et elegans sit et certa, tamen non omnes huius loci difficultates tollit. Primo enim versu non solum *οὖν*, sed etiam *ποδὸς* corruptum est, nam *ἐρρίφη ποδὸς* nullo pacto idem potest significare, quod *ἐρρ. ποδὸς μαρφθείς*. Fortasse legendum est:

θανὼν μὲν εἰς Μαίανδρον ἐρρίφη σόλος
ψοφῶν τις ὥσπερ· ἦν δ᾿ ὁ κτλ.

δίσκος interpolationem esse iam Casaubonus vidit, *εἰς* pro *οὖν* etiam Eichstaedt. proposuit.

In v. 3 Nauck. *Τιρύνθιός τις· τίς γὰρ κτλ.* legi vult. Westermannus post *ἀνήρ* orationem ab alia persona interruptam et sequentia sic scripta fuisse putat:

B. *τίς δή;* A. *πύθοι᾿ ἂν· τίς γὰρ ἀνθ᾿ Ἡρακλέους;*

Utrum melius equidem non audeo diiudicare.

Hippothoontis frg. 3:

ζευχθεὶς γάμοισιν οὐκέτ᾿ ἔστ᾿ ἐλεύθερος.
ἀλλ᾿ ἕν γ᾿ ἔχει τι χρηστόν· ἐν κήδει γὰρ ὢν
ἐσθλῷ δέδοικε μηδὲν ἐξαμαρτάνειν.

In v. 3 manifeste vitium inest, an verbis *δέδοικε μηδὲν ἐξ.* aliud quidquam significari potest, quam hoc: 'timet ne quid amittat i. e. fieri posse putat ut quid amittat?' Quid? haec sententia nonne ei, quam poeta voluit exprimere, prorsus contraria est? Itaque pro *ΔΕΔΟΙΚΕ* scribendum esse censeo *ΛΕΛΟΓΧΕ λέλογχε*. Sic optimus oritur sensus: 'eam sortem adeptus est, ut nihil non assequatur, ut in omnibus rebus ab affinibus adiuvetur'. Perfecti forma *λέλογχα* in tragoediis haud ita rara est, cf. Soph. O. C. 1235 *ἐπιλέλογχεν*. Eur. Troad. 344 *λελόγχατε*, ibid. 283 *δολίῳ τε λέλογχα φωτὶ δουλεύειν*.

Thespidis frg. 1. e fabula *Πενθεύς* inscripta repetitum:

ἔργῳ νόμιζε νεβρίδ᾿ ἔχειν ἐπενδύτην

Pro *ἔργῳ*, quod admodum suspectum, fortasse scribendum *ἔργον*, 'magnum quid esse existima Bacchum sequi'.

Eiusdem frg. 2.

οὐκ ἐξαθρήσας οἶδ᾿, ἰδὼν δέ σοι λέγω.

Pro *ἐξαθρήσας* aperte legendum est *ἐξακούσας*, cf. Soph. Phil. 672 *λόγῳ μὲν ἐξήκουσ᾿, ὄπωπα δ᾿ οὐ μάλα*, et Eurip. Iph. T. 901 *τάδ᾿ εἶδον αὐτὴ κοὐ κλύουσ᾿ ἀπαγγελῶ*. *ἐξαθρεῖν* verbum nusquam reperitur.

Adespota.

Frg. 20. Apollod. 3, 1, 4: *ἦν δὲ ὁ λαβύρινθος, ὃν Δαίδαλος κατεσκεύασεν, οἴκημα καμπαῖς πολυπλόκοις πλανῶν τὴν ἔξοδον.* Verba *οἴκημα καμπαῖς πολυπλόκοις* e tragoedia petita esse Meinekius admodum probabiliter coniecit. Quod idem ni fallor de sequentibus verbis valet, cum non veri simile sit ipsum Apollodorum *πλανῶν τὴν ἔξοδον* dixisse pro *πλανῶν τὸν ἐξιόντα* vel *ἐξιέναι ζητοῦντα*, itaque haec arbitror e tragoedia petita esse:

οἴκημα καμπαῖς πολυπλόκοις τὴν ἔξοδον
πλανῶν

'aedificium, quod variis viarum flexibus egressum i. e. egredi cupientem in errorem ducit'.

Frg. 34. Ad Aristoph. Eccles. versum 1 *ὦ λαμπρὸν ὄμμα τοῦ τροχηλάτου λύχνου* in scholiis haec adnotantur: *ὑποπτεύεται δὲ ὁ ἴαμβος ἢ τοῦ Ἀγάθωνος ἢ τοῦ Δικαιογένους.* Quod utrumque se habet, illud quidem perspicuum est tragoediae parodiam in illo versu inesse. Cumque admodum probabile sit Aristophanem hic de lucerna dixisse, quae tragicus poeta de solis radiis pronuntiaverat, errare mihi non videor, si tragicum versum hunc fuisse suspicor

ὦ λαμπρὸν ὄμμα τοῦ διφρηλάτου κύκλου.

διφρήλατος est 'curru tractus' sc. a Sole deo, qui lumen solis curru vehit, *διφρηλατεῖ*; cf. Theodectae frg. 17 *Ἥλιος διφρηλατῶν* Soph. Ai. 845 *σὺ δ' ὦ τὸν αἰπὺν οὐρανὸν διφρηλατῶν Ἥλιε.* Ipsum *διφρήλατος* vocabulum invenitur apud Eurip. frg. 1093 *νῦν εὐσέληνον φέγγος ἡ διφρήλατος* . . . sc. *μήνη* vel *σελήνη*. Vocem *κύκλος* saepissime de sole dici notum est.

Frg. 72. Athenag. Legat. pro Christ. 22. p. 101 sq. hoc adfert carmen choricum

πολλάκις μοι πραπίδων διῆλθε φροντίς,
εἴτε τύχα εἴτε δαίμων
τὰ βρότεια κραίνει,
παρά τ' ἐλπίδα καὶ παρὰ δίκαν
τοὺς μὲν ἀπ' οἴκων δ' ἀναπίπτοντας
ἀτὰρ θεοῦ, τοὺς δ' εὐτυχοῦντας ἄγει.

Et metrum et sententiam graviter laborare patet, nec quidquam prodest singulis quibusdam verbis medelam comparare, sed totius loci et sententiae et metri ratio est habenda. Ac primum quidem *ἄγει* suspectum est, neque enim solum verba *ἄγει τοὺς εὐτυχοῦντας* de quanam re accipienda sint incertum, verum etiam quis ille sit, qui 'ducat' nescimus. Nam cum poeta modo dixerit dubitare se, casus an deus res humanas regeret, nullo pacto fieri potest, ut ad verbum *ἄγει* aut *τύχα* aut *δαίμων* subaudiamus. Itaque *ἄγει* integrum non est. Jam vero si hoc mihi concesseris, intelleges accusativos *τοὺς μέν* — *τοὺς δέ* nihil habere unde pendeant. Illud quoque dubium erit, quid sibi velit *ἀπ' οἴκων*. Ut enim *ἀναπίπτειν* idem sit quod 'eici', poetam non *ἀπὸ* sed *ἐξ οἴκων* dicturum fuisse consentaneum est. Sed ne *ἐξ οἴκων*

quidem ad sensum aptum est, quippe quod ad unum tantum genus miseriae, exilium, spectet. Itaque *οἴκων* integrum esse nego. Pro *ἀτάρ θεοῦ*, quod nequit intellegi, Gesner. scripsit *ἄτερ θεοῦ* 'sine deorum auxilio.' Sed deorum mentionem ab hoc quidem loco adhorrere manifestum est. Equidem totum locum sic scribendum esse suspicor:

πολλάκι μοι πραπίδων διῆλθε φροντίς,
εἴτε τύχα τις εἴτε δαίμων τά βρότεια κραίνει·
παρὰ δ' ἐλπίδα καὶ παρὰ δίκαν
τοὺς μὲν ἀπεῖδον καταπίπτοντας ἀπ' ἄκρου,
τοὺς δ' εὐτυχοῦντας ἀεί.

Metrum hoc est:

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑	5
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒	4 + 3
⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑́⏑ ⏑ –	4
–́ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – –	4 + 3
– –́ ⏑ – ⏑ – –	4

In v. 2 pronomen *τις* iam a Nauckio insertum est, quod tamen idem in eodem versu pro *κραίνει* scribendum suspicatur *κρίνει* necessarium non est. Litteras *ΑΠΕΙΔΟΝ* et *ΑΠΟΙΚΟΝ* simillimas inter se esse apparet. Sed praestat fortasse scribere *ἐπεῖδον*. Locus ita fere vertendus: 'Saepe in mentem mihi invasit cogitatio, utrum casus an deus res humanas regat: videbam autem (*δὲ* et 'autem' saepe ponuntur, ubi nos dicimus 'denn') praeter opinionem et praeter iustum alios e fastigio fortunae deici, alios semper rebus secundis frui.' Vox *πίπτειν* saepenumero de fortuna subito mutata usurpatur, cf. Eur. frg. 264 *χὠ πρὶν εὐτυχῶν πίτνει*, Soph. Oed. Tyr. 146 *ἢ γὰρ εὐτυχεῖς | σὺν τῷ θεῷ φανούμεθ' ἢ πεπτωκότες*. Ad verba *ἀπ' ἄκρου* cf. fragmenti, quod sequitur, versum 4 *ἢ τοὺς ἀφ' ὕψους εἰς ζόφον κατήγαγεν*, adesp. 462, 5 *ὅταν ἐπ' ἄκρον τις τοῦ καλῶς πράσσειν δράμῃ*, Eurip. 424, 3. *μί' ἡμέρα | τά μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὰ δ' ἦρ' ἄνω.*

Frg. 75. Ps. Callisthenes, 2, 16 p. 736 locum habet, quo manifestum est senarios iambicos latere, quos Nauckius probabiliter ita restituit:

τὸ μέλλον οὐδεὶς ἀσφαλῶς ἐπίσταται.
ἡ γὰρ τύχη βραχεῖαν ἢν λάβῃ ῥοπήν,
ἢ τοὺς ταπεινοὺς . . . . . .
ἢ τοὺς ἀφ' ὕψους εἰς ζόφον κατήγαγεν.

Versum 3 idem vir doctus ita fere supplendum esse suspicatur:

ἢ τοὺς ταπεινοὺς ἦρεν ὑπεράνω νεφῶν

comparatis Callisthenis verbis *ἢ τ. ταπ. ὑπεράνω τῶν νεφῶν ἀναβιβάζει.* Quae coniectura vereor ut probetur, quoniam Callisth. hoc loco poetae verba non magis mutasse putandus est quam in ceteris versibus. Itaque ut in versu 4 praesenti tempore *κατάγει* usus est pro aoristo gnomico, ita in tertio quoque versu *ἀναβιβάζει* pro *ἀνεβίβασεν* ab eo scriptum fuisse veri simile est. *ὑπεράνω* denique, quod sero demum reperitur, pro simplici *ὑπέρ* dixit. Itaque equidem v. 3 ita restituo: *ἢ τοὺς ταπεινοὺς ἀνεβίβασεν ὑπὲρ νεφῶν.*

Frg. 88. Versus 4 sine dubio ita scribendus est:

τά τ' ἄλλ' ὅσ' ἡμεῖς ὄμμασιν γιγνώσκομεν

libri habent *ὀνόμασιν.*

Frg. 100. Apud Diod. Sic. 16, 92 hoc legitur carmen choricum:

φρονεῖτε νῦν αἰθέρος ὑψηλότερον
καὶ μεγάλων πεδίων ἀρούρας,
φρονεῖθ' ὑπερβαλλόμενοι
δόμων δόμους, ἀφροσύνᾳ
πρόσω βιοτὰν τεκμαιρόμενοι.
ὁ δ' ἀμφιβάλλει ταχύπους
κέλευθον ἔργῳ σκοτίαν,
ἄφνω δ' ἄφαντος προσέβα
μακρὰς ἀφαιρούμενος ἐλπίδας
θανάτῳ πολύμοχθος Ἅιδας.

Quid verba *δόμων δόμους* sibi velint non intellegitur. Nec quas coniecturas proposuerunt L. Schmidt (Philol. XXXVII p. 344) et Wilh. Schmidt (Satura crit. Neu-Strelitz 1844), quorum ille *πρόμων δόμους*, hic *θεῶν δόμους* legendum esse coniecit, probandas esse censeo. Nam postquam poeta dixit consilia illorum hominum altiora esse quam caelum, latiora quam terram, non veri simile est eum ieiunum hoc addidisse, maiora esse deorum templis vel regum arcubis.

Equidem scriptum fuisse puto *θεῶν νόμους*. Dicit poeta illos ita audaces esse ut ne deorum quidem leges violare dubitent. *φρονεῖθ' ὑπερβαλλόμενοι* a poeta videtur dictum esse pro *καταφρονεῖτε* vel *ὑβρίζετε*. Verba *θεῶν νόμοι* saepissime a poetis tragicis usurpantur de religione, velut Soph. Ai. 1343 *τοὺς θεῶν νόμους φθείροις ἄν*, Aesch. Eum. 171 *παρὰ νόμον θεῶν*, adesp. 147, 2 *σέβοντα τοὺς θεῶν νόμους*. Coruptela nostri loci fortasse eo est orta, quod pro *θεῶν* per errorem scriptum erat *δαιμόνων*, quod vocabulum cum metro repugnaret abiit postea in *δόμων*. — In v. 7 pro corrupto *ἔργῳ* non dubito quin *ἕρπων* legendum sit, cf. simillimum locum apud Soph. Phil. 1223 *ἥτιν' αὖ κέλευθον ἕρπεις ὧδε σὺν σπουδῇ ταχύς*. Itaque *ταχύπους*, quod Nauck. editionem Paris. secutus pro *ταχύπουν* in textum recepit retinendum. Verborum constructio haec est: *ὁ δὲ πολύμοχθος Ἅιδας ταχύπους κέλευθον σκοτίαν ἕρπων ἀμφιβάλλει* sc. *ὑμᾶς*, ‘Orcus celeriter via obscura accedens circumvenit vos, subito autem invisus vos aggreditur magnas istas spes morte praecidens’. Reiskii coniectura *θνατῶν* prorsus inutilis est. — Metrum carminis non minus egregium quam ipsa sententia:

⏑ –́ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ –	prood.	6	
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⊣ –		5	I
⏑ –́ ⏑ – – ⏑ ⏑ –		4	I
⏑ –́ ⏑ – – ⏑ ⏑ –		4	I
⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏒ – ⏑ ⏑ –		4	I
⏑ –́ ⏑ – – ⏑ ⏑ –		4	II
⏑ –́ ⏑ – – ⏑ ⏑ –		4	II
⏑ –́ ⏑ – – ⏑ ⏑ –		4	II
⏑ –́ ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ –		5	II
⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⊣ –	epod.	4	

Frg. 102. ὦ χρυσέ, βλάστημα χθονός,
οἷον ἔρωτα βροτοῖσι φλέγεις,
πάντων κράτιστε πάντων τύραννε·
πολεμεῖς δ' Ἄρεος
κρείσσον' ἔχων δύναμιν
πάντα θέλγεις· ἐπὶ γὰρ Ὀρφείαις μὲν ᾠδαῖς
εἵπετο δένδρεα καὶ
θηρῶν ἀνόητα γένη,
σοὶ δὲ καὶ χθὼν πᾶσα καὶ πόντος καὶ ὁ παμμήστωρ Ἄρης.

Haud pauca in his verbis vitia insunt. Primum enim in v. 3 metrum plane turbatum, quod Rossbach. (art. metr. p. 452) ita conatus est restituere, ut scriberet *κράτιστος — τύραννος*. Deinde in v. 6 ante *θέλγεις* coniunctio aliqua desideratur. In postremo denique versu *καὶ ὁ* corruptum est neque satis est *χὼ* scribere, quod per metrum non licet. Equidem totum carmen ita restituendum esse iudico:

ὦ χρυσέ, βλάστημα χθονός,
οἷον ἔρωτα βροτοῖσι φλέγεις,
κράτιστε πάντων τυράννων·
πολεμεῖς δ' Ἄρεος
κρείσσον' ἔχων δύναμιν καὶ πάντα θέλγεις·
ἐπὶ γὰρ Ὀρφείαις μὲν ᾠδαῖς
εἵπετο δένδρεα καὶ θηρῶν ἀνόητα γένη,
σοὶ δὲ καὶ χθὼν πᾶσα καὶ πόντος
χὠ παντομήστωρ Ἄρης.

metrum est dactylo-epitriticum

– –́ ⏑ – – – ⏑ –	4
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –	4
⏑ –́ ⏑ – – ⏑ – –	4
⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –	2
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – | –́ ⏑ – –	5
⏑́⏑ ⏑ – – – ⏑ – –	4
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –	6 (3 + 3)
–́ ⏑ – – – ⏑ – – ⏑̱	6
– –́ ⏑ – – ⏑ –	4

Vox *παντομήστωρ* eadem ratione dicta est pro *παμμήστωρ*, qua *παντοῦργος* pro *πανοῦργος*, *παντοκράτωρ* pro *παγκράτωρ* et alia eiusmodi.

Frg. 123. Epiphanius Ancor. p. 108 D: *Ζῆνες δὲ οὐχ εἷς ἢ δύο, ἀλλὰ καὶ τρεῖς καὶ τέσσαρες γεγόνασι τὸν ἀριθμόν. ὁ μὲν γὰρ εἷς αὐτῶν Κρονίδης ὁ προειρημένος —, ἄλλος δέ ὁ τραγῳδὸς ὁ καὶ καὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ καύσας· τάχα δὲ θεὸς ὢν ἐπελάθετο ὅτι δάκνει τὸ πῦρ.* Quibus verbis drama satyricum respici Meinekius in Philol. III p. 320 probabiliter coniecit. Et ni fallor unum illius dramatis versum Epiphan. integrum nobis servavit in verbis *τάχα δὲ κτλ*, quae a poeta ita puto scripta fuisse:

τάχα θεὸς ὢν ἐπελάθετ' ὅτι δάκνει τὸ πῦρ.

Huic sententiae favet quod Epiphan. in eis, quae post hunc locum sequuntur, versum ex Aeschyli Prometheo satyrico (frg. 202) sumptum respicit.

Frg. 141. Galenus vol. 1 p. 15 hos adfert versus:

εἴθ' ὤφελεν τὸ κάλλος, ὅ με διώλεσε
κακῶς ὀλέσθαι.

Ad hunc locum spectare videtur Ar. Nub. 41:

εἴθ' ὤφελ' ἡ προμνήστρι' ἀπολέσθαι κακῶς,
ἥτις με γῆμ' ἐπῆρε τὴν σὴν μητέρα.

Fragmenti verba Nauckio Helenae videntur esse, cf. Eur. Helen. 304 sq.

αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι διὰ τὸ κάλλος εὐτυχεῖς
γυναῖκες, ἡμᾶς αὐτὸ τοῦτ' ἀπώλεσεν.

Frg. 148. Harpocr. p. 6, 20: *ἀεὶ ἀντὶ τοῦ ἕως — καὶ Θουκυδίδης ἐν τῷ προοιμίῳ οὕτως ἤρξατο·*

οὕτω μὲν οὖν μοι δεῦρ' ἀεὶ τείνει λόγους.

Lacunam in his inesse manifestum est. Thucydidis locum qui hic respicitur Nauck. eum esse conicit, qui 1, 18 legitur: *ἀπὸ τῶν Μηδικῶν εἰς τόνδ' ἀεὶ τὸν πόλεμον.* Ad verba *οὕτω μὲν κτλ.*, quae tragici sunt poetae, etiam Schol. Aesch. Eum. 596 spectat: *τὸ ἀεὶ ἐπὶ τοῦ ἕως τάττουσιν Ἀττικοὶ πολλάκις· ʽδεῦρο μέν μοι τόνδ' ἀεὶ τεῖνον λόγον'.*

Temere Nauck. accusativum *λόγους* in *λόγος* mutavit. Nam verbum *τείνειν* hac significatione usurpatum nisi transitive dictum non invenitur, cf. Aesch. Choeph. 510 *καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδ' ἔτεινα τὸν λόγον.* Pers. 574. *τεῖνε δὲ δυσβάϋκτον — αὐδάν.* Eur. Hec. 1177 *μακροὺς τείνω λόγους.* Soph. Ai. 1040 *μὴ τεῖνε μακράν* sc. *ῥῆσιν*, quod ipsum additur a Platone Reip. X p. 605 D *μακρὰν ῥῆσιν ἀποτείνοντας.* Itaque *λόγους* retinendum. Pro *οὕτω* Stanleius scripsit *οὗτος.* Si quid mutandum, equidem scribi malim *τούτους — λόγους*, velut Schol. Aesch. l. l. dicit *τόνδε λόγον.*

Frg. 161. Hesychius: *ἀγνῶτας φίλους· ἀγνώμονας, ἀνεπιστήμονας.* Ita haec glossa a Nauckio interpungitur, qui verba *ἀγνῶτας φίλους* 'stultos amicos' e tragoedia petita et verbis *ἀγνώμ. ἀνεπιστ.* explicata videtur putare. Quae sententia cum ipsa per se parum sit probabilis tum idcirco falsa est, quod duas hoc loco glossas plane diversas inter se confusas esse M. Schmidt. satis certe demonstravit. Verbis enim *ἀγνωμ. ἀνεπ.* respicitur Platonis locus, qui legitur Reip. V p. 451 D, ad quem locum pertinent quae in Anecd. Bekk. p. 334 leguntur: *Πλάτων δὲ ἐν τῇ πολιτείᾳ ἀγνώμονας ἔφη τοὺς γνῶσιν μὴ ἔχοντας ἀλλ' ἀνεπιστήμονας.* Quae cum ita sint, solum restat *ἀγνῶτας φίλους* 'ignotos amicos'. Possit quis dicere poetae alicuius haec esse verba, quorum explicatio exciderit. Quod quamquam fieri potuit, tamen nescio an alia ratione huius loci difficultates facillime possint tolli. Suspicor enim totum locum in eo libro, unde et Hesych. et auctor in Anecd. Bekk. explicationes illas sumpserunt olim sic scriptum fuisse:

ἀγνῶτας· φίλους μὴ ἔχοντας
ἀγνώμονας· γνῶσιν μὴ ἔχοντας, ἀνεπιστήμονας.

Hesych., cum repeteret has glossas, ne longior esset, omisit illud *γνῶσιν μὴ ἔχ.*, quo facto ceterisque verbis ita scriptis *ἀγνῶτας φίλους, μὴ ἔχοντας, ἀγνωμονας, ἀνεπιστήμονας*, etiam illud *μὴ ἔχ.* cum sensum praeberet nullum evanuit.

Quod ad priorem glossam pertinet, haud male eos qui amicis carent ἀγνῶτας potuisse nominari patet, velut Aesch. Choeph. 702 γνωστὸς γενέσθαι eodem fere sensu dixit, atque φίλος γενέσθαι. cf. Suidas: γνωστοί· φίλοι. Quod apud Suidam legitur: ἀγνῶτας μὴ ἐπιγινωσκομένους ad alium scriptoris locum spectat et eundem quidem, qui apud Hesychium hac glossa respicitur: ἀγνώς· ὁ μὴ ἐπιγινωσκόμενος.

Ceterum si meam probaveris coniecturam, intelleges admodum dubium esse, num e tragoedia potissimum verbum ἀγνῶτας repetitum sit.

Frg. 162. Hesychius: ἄλλη συνωρίς· ἄλλη κατάστασις. codex habet ἀλλη σίνωρις quod Musurus correxit. Manifestum est nullo pacto fieri posse, ut ipsa vox συνωρίς idem significet atque κατάστασις. Itaque si Hesychii glossa recte se habet, verba ἄλλη συν. in tali sententiarum connexu dicta fuisse censendum est, ut συνωρίς tralate dictum fere idem significaret quod in quotidiano dicendi genere voce κατάστασις exprimi debuit. Quamobrem suspicor glossa illa Hesychiana respici Aeschyli locum eum, qui legitur apud Schol. Il. π, 542 (frg. 372):

ὅπου γὰρ ἰσχὺς συζυγοῦσι καὶ δίκη,
ποία ξυνωρὶς τῶνδε καρτερωτέρα;

Hanc enim sententiam, quam poeta per suavissimam metaphoram eleganter pronuntiavit, in pedestri oratione fere ita exprimere possimus: 'nulla condicio (i. e. κατάστασις) firmior potest esse, quam si quis et iustitia et potentia utitur, keine stellung ist sicherer, als wenn macht und recht zusammengehn.' Ad hunc locum a scholiasta, cuius ipsius verba ab Hesychio adferri veri simile est, fere haec adnotata fuisse arbitror: ποία ξυνωρίς· ἀντὶ τοῦ ποία ἄλλη (hoc enim sine dubio subaudiendum est) κατάστασις. ποῖος pro ποῖος ἄλλος dictum invenitur apud Soph. O. C. 474 θαλλοῖσιν ἢ κρόκαισιν; ἢ ποίῳ τρόπῳ; Plat. Gorg. 483 D. ποίῳ δικαίῳ χρώμενος. Itaque hic locus removendus est ex adespotorum fragmentorum numero.

Frg. 173 et 174. Hesychius: ἱππικὴ βάσις· ἡ νευρὰ τοῦ τόξου διὰ τὸ ἐξ ἱππείων γίνεσθαι νευρῶν· οἱ δὲ θώμιγγα νευρῶν ἱππικὴν (cod. πικήν) καλοῦσιν. Explicationi huius loci difficultates obstant gravissimae. Ac primum quidem vocabulum βάσις sine dubio corruptum. Qui enim fieri possit, ut nervus βάσις nominetur, mihi quidem prorsus obscurum est. Et sane scire cupiam, qua tandem ratione Nauck. et Schmidt., qui eam vocem retinent, explicari eam posse censeant. Scaliger. ad Varr. p. 145 τάσις legendum esse suspicatur, quod idem ego olim conieci. Nunc autem probabiliorem mihi videor emendandi viam invenisse, de qua infra dicam.

Extrema glossae verba Nauck. sic putat scribenda esse: οἱ δὲ θώμιγγα 'νευρὰν ἱππικὴν' καλοῦσιν, quod improbandum, quoniam his verbis nihil aliud significatur, quam quod iam antea ab Hesychio dictum est, scilicet nervum arcus ἱππικήν vocari. Praeterea veri simile est vocem θώμιγγα, quae rarissime usurpatur, poetae esse, cuius hic verba respiciuntur, non ipsius interpretis. M. Schmidt., ut difficultates tolleret, prorsus diversa usus est ratione. Qui postquam Scaligeri et Musuri coniecturas adtulit, sic pergit: 'reliqua intelleges, si probaveris sub καλοῦσιν latere lectionis discrepantiam: κάσιν (γράφουσιν). Trimeter enim hic fuit: θώμιγγα νευρῶν, ἱππικὴν βάσιν ⏑ –, ab aliis sic scripta: θώμιγγα, νευρῶν ἱππικῶν (πικρὰν?) κάσιν'. Haec explicatio, quamvis subtiliter et argute excogitata sit, minime est probanda. In altero enim horum versuum neque ἱππ. βάσιν quid sibi velit apparet et θώμιγγα νευρῶν displicet, alterius versus sententia ea est, in qua offendamus, quoniam θώμιγξ, quae idem

est atque *νευρά*, non potest frater vel soror *νευρᾶς* nominari. Nam quae a Schmidtio exempla adferuntur ex Aeschylo petita prorsus aliena sunt: Ag. 494 *κάσις πηλοῦ ξύνουρος διψία κόνις*, Sept. 490 *λιγνὺν μέλαιναν αἰόλην πυρὸς κάσιν*. Nam pulverem quidem luti et fumum ignis fratrem optime appellari potuisse patet. — Equidem suspicor in eo scholio, unde haec glossa vel a Diogeniano vel ab Hesychio excerpta est, duas poeticae vocis *θώμιγγα ἱππικήν* explicandae rationes fuisse propositas, alteram eorum, pui putarent *θώμιγγα ἱππικήν* dici, quia e crinibus equinis facta esset; alteram eorum quibus adiectivum illud de nervis equinis dictum videretur. Itaque nescio an ita fere scribendum sit: *ἱππικὴν θώμιγγα· [οἱ μὲν] ἱππικήν φασιν τὴν νευρὰν τοῦ τόξου διὰ τὸ ἐξ ἱππείων γίνεσθαι τριχῶν, οἱ δὲ ἐκ νεύρων* (sic) *ἱππικῶν καλεῖσθαι λέγουσιν*. Ex eodem hoc scholiastae loco non dubito quin altera Hesychii glossa originem duxerit, quae haec est: (*ἱππείαν· τὴν ἵππον.*) *ἔνιοι δὲ τὴν τόξων νευρὰν τὴν ἐξ ἱππείων τριχῶν*. Ceterum *τριχῶν* in nostro loco legendum esse iam Musurus coniecit.

Cum hunc libellum typographo traderem, certa me spes tenuit fore, ut totus typis describeretur. Sed spes me fefellit et parendum fuit necessitati, quae qualis fuerit pluribus hic exponere neque libet neque licet. Itaque si quis ea, quae in praefatione promisi, non servata invenerit, nulla mea hoc culpa factum esse scito.